Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2891

Quelle:
Copyright:

reddit: *Sacerdotii autem de quo loquimur aſpice dignitatem. Agitur quidem in terra* &c. Alter e L. VI. p. 424. ab iis verbis: *τον γαρ ὑπερ ὁλης της πολεως και τι λεγω πολεως* &c. Nobis: *Nam eum qui pro omni ciuitate. quid autem dico ciuitate* &c.

VI. *fol.* 36. et deinceps Excerpta de *Eucharistia* e *Gregorio M. Vitis PP. Hilario, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, Fulgentio, Cyrillo* &c.

VII. *fol.* 48. *De grauibus mortalibus peccatis. ac criminibus. eorumque penitudine. et ſatisfactione.* Praeit Elenchus *Capp.* LXXXIII. in cujus fronte legas: *Tercius hic largiente domino ex dictis ſanctorum patrum defloratus. ut in prologo huius opuſculi prefati ſumus inchoat libellus. Tuis igitur meritis precibusque animatus ſtudioſiſſime pater. et ſi non ut debeo tamen prout potero deo fauente preceptis tuis ſatisfacere humiliter ſtudebo.* Abeſt memorata *Praefatio* cum duobus *Libellis* praecedentibus, qui tamen indicati ſunt *Cod.* CCLXXXIII. auctore *Rabano Mauro.* Inchoat Noſter: *Que ſint autem grauia et mortalia peccata paulus predicator egregius* &c. et finit: *Hucusque qualiter cogitatione. locutione. et opere peccata perpetrentur. ex multis ſanctorum patrum edictis. pauca donante domino excerpſimus. que forſitan ſimpliciori bus prodeſſe poterunt.* Itaque *Codex* hic cum *Cod.* mox *cit.* integrum *Rabani* Tractatum conficit.

VIII. *fol.* 86. p. ult. Nomina notarum antiquarum *Muſicarum* Verſiculis comprehenſa, quos Cl. *B. Pezius* in *Cod. Tegernſeenſi Theogeri* Ep. Metenſ. *de Muſica* inventos edidit *Anecd. Theſ. T. I. Diſſert. Iſag.* p. 15.

Eptophanus (ἑπταφωνος) *Strophicus. Punctus. Porrectus. Oriſcus.* &c.

quamvis aliter legantur e *Cod. Sanblaſiano* apud Celſ. *Gerbertum de Cantu et Muſica ſacra* T. II. *Tab.* 10. *n.* 2. dimidioque plures. Neuter tamen *quatuor* ultimos Noſtros, ut reor, vidit, quos idcirco adſcribo:

Nomina Neumarum (πνευματων) *cognoſces hic variarum.*
Percutiens. Torquens. Saliens. Pes. Virga. Retorquens.
Deſcendens. Punctus. Gradiens. Acclinis. Oriſcus.
His ego guttralem cum trigone conſociarem.

Omnibus his Vocibus τεχνικοις *Signa* ſua impoſita eſſe, non eſt, quod moneam.